Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2621

Quelle:
Copyright:

V. *fol.* 97. *Poſicio Magiſtri Jacobelli de miſza pro informatione monachi predicatoris ſancti Clementis antiquioris ciuitatis Pragen. A. d. 1417.* In diſciplinam *Jacobelli* ſe itaque dedit *Petrus* ille, cujus *Revocationem* videmus *Cod.* DCCCCLXVIII. N. 5. Poſitionis, qua tota vi pro *Utraquiſtis* agitur, initium: *Vtrum communitates fidelium debeant diuiſtuam eukariſtiam ſumere ſub vtraque forma ſacramentali tam panis quam vini. Imprimis proteſtor, quod hic non intendo dicere quod eſſet contra ſummum pontificem futurorum bonorum dominum ihesum christum* &c. Propoſitis dein Adverſariorum et ipſius Concilii *Conſtant.* quod *ſacrum* adpellat, rationibus obviare nititur. Ad calcem: *Et hic eſt finis huius Tractatuli Reuerendi Magiſtri Jacobelli de Miſa pro informacione Monachi Magiſtri Petri de ordine fratrum* (Praed.) *ſancti Clementis.* Et continuo adhaerent varia de *Euchariſtia* Quaeſita. Inter alia: *Vtrum Panis remaneat poſt conſecrationem.* Reſpondetur negative, panem tamen non annihilari, ſed transmutari in melius, manentibus ejus Accidentibus.

VI. *fol.* 109. *Incipit Tractus pro Communione vtriusque ſpeciei quo ad adultos pro audientia Concilij Baſilienſis adaptatus Magiſtri* (Joh.) *Przibram.* Initium: *Ad honorem domini noſtri ihesu chriſti crucifixi profectumque eccleſie ſue ſancte* &c. Pertinet ad an. 1437. quo inter Legatos Regni *Baſileae* fuit Noſter. Duplex vero mihi dubium oritur, primum, an Tractatus iſte ullibi typis expreſſus extet, cum ejus notitia prorſus fugerit Editores *Bob. doctae Balbini*, et *Voigtium Vol. I. Actor. liter. Bob.* dein, an reipſa in Concilio depromtus fuerit; *ro adaptatus* enim in Titulo id incertum reddit. Ad calcem lego: *Finis illuminacionis huius operis feria II. poſt feſtum ſ. ſacramenti Anno 1462.* Id, quod de *Rubricatione* ſola intelligendum videtur, quae non in impreſſis tantum Libris, ſed etiam in Mſ. non raro dilata fuit. A *fol.* 134. adhaerent Tractatui Adnotationes multae ad idem propoſitum facientes.

VII. *fol.* 140. p. 2. *Tractatus de Communione Paruulorum.* Initium: *Inprimis ergo pro fata communione parvulorum ponendum eſt fundamentum ſolidum videlicet ſaluatoris dictum. quo dicit vniuerſaliter omnibus. Niſi manducaveritis carnem filij hominis* &c. *Jacobi de Miſa* et *Joh. de Przibram* de eodem Argumento Tractatus indicavi *Cod.* DCCCCLXVIII. quibus Antiquitatis ſacrae uſu nihil cedit iſte, et fortaſſe alterutrius eſt. An vero et hic aries *Baſileenſibus* a. 1437. admotus fuerit, neſcio. In *Procuratorio*, quod *Cochlaeus* L. VIII. p. 306. exhibet, certe juſſi ſunt Legati ſcripturas atque auctoritates pro communione Parvulorum proponere. Sed, ut mox idem refert, petitio ſimpliciter eſt denegata eo, quod Communio Parvulorum per Compactata expreſſe fuerit excluſa.